



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Barzaei Herovm Helvetiorvm Epistolae

Barzaeus, Johannes

Fribvrgi Helvetiorvm, 1657

Lector Ingenve.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13014

LECTOR INGENUE.

DVM Heroum Heluetiorum Epistolas tibi propono; nec priscos Orgetoriges, nec Numeios aut Verodoctios Iulio Casari iam cognitos; nec etiam hodiernos Regibus ipsis Cesaribusq; familiares Heroes adduco: sed eorum nonnullos, qui vel circa Libertatis restauratæ tempora, consiliis & actis suis celebres; vel in prælijs pro eadem Libertate susceptis, inq; Fœderum sanctionibus fuere insignes. Quæ quidem tametsi iam pleraq; vernaculo sermone à varijs variè tractata, & cantilenis suis dudum fuerant inserta; caractere tamen latino, ac præsertim metrico rariùs sunt explicata. Quæ pertractanti mihi, si obscuritatem aliquam, si voces à pura latinitate alienas, si versus barbariei magis, quàm Heliconidi affines obijcias: consuetæ phrasi, ac vulgi auribus notiori, de industria nonnunquam paruisse me intelligas. Si requisitam politioris correcturæ limam deesse arbitraris: Eam in Lectoribus minimè defuturam, persuadere tibi poteris. Quot enim Lectores, tot & censores, quot censores, tot & opusculi erunt correctores: imò quot Epistolæ, tot fastidientium rugæ; quorum supercilijs territi Versiculi minùs scitè tornati, delicatorem incudem non sunt detrectaturi. Vbi tamen rogatum te velim, si unius fortè aut alterius epistolæ materies, ob regionis maximè religionisue differentiam tibi futura sit contraria; Poëta ipsi indifferenter & ingenuè scribenti, stomachabundus ut ne succenseas; sed ad alia palato tuo magis placitura te conuertas. Ad gustum cuiuslibet arbitrari se scribere, planè est desipere. Cuius intuitu, nec exterarum gentium

tium

tium ab Heluetijs olim triumphatarum inuidiam,
 nec ullam lectoris candidi bilem arbitror mouendam.
 Poëtarum acutissimo Virgilio non est quod indignen-
 tur Rutuli, si Troianorum fortitudine scribuntur vi-
 cti. Si deniq; aliquarum Heluetie Ciuitatum ac gen-
 tium facinora, memoratu quoq; ac cedro suâ dignif-
 sima, alto hic silentio queraris esse præterita: anna-
 les ipsos ac libros chronicos, isti vel alteri loco singu-
 lares, musæo nostro abfuisse, & ob id plurima Hero-
 um nostratium gesta, Versibus nostris intacta, eman-
 sisse, prudentissime Lector, agnosce: mihiq; nil nisi
 epitomen aliquam producenti, dignanter ignosce.

